

ut hostes Abduæ fluminis transitu totis viribus arceret ; id 1521
 haud difficulter aggerum altitudine , pugnæ disparitate , mili-
 tum virtute , consequi posse ratus . Hostes , ad Rivoltam exer-
 citu admoto , de Abdua tranando , extruendoque inter Rivol-
 tam , & Cassanum ponte , consilia ineunt ; sed cum vel rei
 difficultate , vel Gallorum imminentium copiis deterrerentur ,
 Columna secreto , intempesta nocte , parvis lembis ad Vaprium
 quinque millibus a Cassano passuum , nonnullos milites in ul-
 teriore ripam exponit . Ii editiorem quemdam locum occu-
 pant , ut reliquis succedentibus auxilio sint , ac , licet vehe-
 mentius obstante Scudo , qui ad tutandum fluvium , hostes-
 que ripa prohibendos cum quadringentis cataphractis , Gallo-
 rum peditum manu , majoribusque tormentis a fratre missus
 fuerat , evasere , ac trans Abduam pervenere . Scodus spe fru-
 stratus Cassanum se recepit . Lautrechius vero de transitu ho-
 stium certior factus cum Gallorum , Venetorumque reliquis
 copiis una cum Triultio , Mediolanum , totius regionis caput ,
 ingreditur , ad Laudem Pompejam Reipublicæ legato cum tor-
 mentis , suarumque copiarum parte relicto . Hostes ad Meli-
 nianum oppidum Mediolanum , & Ticinum inter castrametan-
 tur , eo consilio , ut , nisi valido præsidio firmatam Mediola-
 ni urbem aggredi , saltem Ticinum regredi possent .

Sed cum declinare Gallorum res , aversamque ab iis fortu-
 nam cernerent , animos , ut adversus Mediolanum suarum vi-
 rium periculum facerent , erexerant ; tum popularium studiis ,
 atque animorum inclinatione , quos rerum novarum spes non-
 nunquam præcipites agere solet ; tum exercitus intra moenia
 inclusi consternatione accensi : quæ Pontificiis , ac Cæsareanis ,
 ut afflanti sinum fortunæ explicarent , spiritus addiderant . Ita-
 que ad xiiij. kal. novembris , in vesperam vergente die , sub-
 urbia aggrediuntur , quæ Lautrechius , ne hostis , illis captis ,
 faciliorem sibi ad expugnationem aditum aperiret , munienda
 curaverat . Ad munitionem prope Ludovicam portam , cuius
 custodia Theodoro Triultio , & Andreæ Grito obvenerat , a
 sclopetariis militibus pugnari cœptum : primo congressu Hi-
 spani arcentur , ac funduntur ; paulo post redintegrata pugna ,
 militum magno numero auditi , ignibus fabrefactis , vehemen-
 tiori impetu invehuntur ; munitiones , quæ parum eminebant ,

Lautre-
ebius cum
Triultio
Mediolanū
se recipit .

Columna
Mediolanū
aggreditur .

con-